



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Lucule[n]ta meretricis calumnia ingenti miraculo refutata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Dan. 3. 24.

huc ignitos, Episcopus, nec ab igne quidquam adustum est. Quo miraculo ita capti sunt spectatores, vt illico, supra mille, sacro baptisate initiarentur; ita calumnia eam passis in honorem, eam facientibus cessit in salutem. Quòd si sunt, qui hæc talia ad innocentiam demonstrandam ignium miracula risu excipiant, tamquam fabulosa, meminerint, tres quoque pueros in fornacem ignis missos, vnde exierunt illæsi. *Et congregati satrapa, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos. Quis hæc dicet fabulosa? Si ergo Deus tunc innocentes in igne illætos seruauit, cur nunc non possit? An non idem est Deus? Aut non æquè nunc potest calumniam passos honorare, atque olim? Enimuerò in igne perinde seruare atque in aère? Vel vnã adhuc dabo eiusmodi Salamandram.*

Theodor. 1. 2.

*Martianus Imp. ad S. aliquando Simeonem, habitum indutus idiota, religionis ergo venerat: vbi ob factum quoddam obstupuit, quod accidit duobus Episcopis inter se contendentibus, Orthodoxo vno, Ariano altero. Arianus quidem dialecticus erat, Orthodoxus verò pius & fidelis. Proposuit is eam conditionem, vt relictis verborum concertationibus, rogam ignis ingrederentur: & sic ostenderent; vtra sententia magis pia esset. Cùm autem Arianus conditionem eam accipere detrectaret, ipse Orthodoxus ignem ingressus è rogo differuit, & illæsus seruatus est. Quo prodigio ignis religionem illustrauit, ne obscura esset, & à Catholico Ariantum, tamquam scoriam ab auro seunxit.*

Ecli. 53. 6.

Potuit igitur innocens Episcopus dicere: *Et liberasti me à pressura flamma, qua circumdedit me, & in medio ignis non sum astutus.* Nemo putare debet vel tres illos pueros, vel hunc Præsulem à nulla calumnia, per flammam, fuisse purgatos: perinde est, immò plus est, si fides, quàm castitas alicuius, calumniam patiatur.

IX.

Cæsarius lib. 10. c. 34.

Sed non omittam, etiam in hoc genere, purgatam flammis innocentiam, quæ docet, Confessarijs, quantumvis castissimis, cautissimè, cum feminis, præsertim leuioribus, aut suspectis esse colloquendum. Gerhungus Scholasticus Bonnenfis, tempore Cæsarij, Parisijs absoluto studiorum suorum cursu reuertens, eiusmodi historiam solebat narrare. Viri, nobilitate & potentia inter

inter Gallos clari, familiam puella sequebatur prostituti pudoris; ac, ne reia deessent, illecebrofi vultus. Huius fascino & visco multi capiebantur. Videbatur enim ignem oculis iaculari, & passim incendijs replere intuentes. Erat in eadem familia sacerdos quidam, homo Dei & honesti amans, quem Nobilis à sacris habebat. Is, cum vidisset vnum post alterū seduci, atq; pessum ire, non potuit tolerare interitum tot animarum. Nactus igitur occasionem herum secretò aggressus ita compellauit. Pestis est, here, in domo tua, quæ quotidie magis grassatur; & ni actutum obuiam iueris, totam domum corripiet. Tota enim familia tua meretriculæ istius amoribus irretitur. Quæ peccata omnia in caput tuum redundant. Tu illorum, apud Deum, reus accusaberis, quia permittis. Aut igitur hanc labem actutum è domo tua eijce; aut ego discedam, ne tantum malum cogar intueri. Motus hoc sacerdotis sui sermone dominus, puellam ad se vocat, eiq; omnia refert, quæ audierat mystam conquerentem. Illa ingenium pariter & dolum in promptu gerens, ita hero respondit: Æquo, Domine, animo hanc paterer accusationem, nisi iniquo contra me fuisset excogitata. Nam impurus iste, quia à me non obtinuit, quod non debuit, idcirco iam odit, quam turpiter amauit; & persequendo vult assequi voluptatem, quam blandienti negavi. Herus, quia satis perspectam habebat sacerdotis sui virtutem, & castitatem, haud obscure illam mentiri dixit, & calumniam facere innocenti. Tum Thais, ô Domine, inquit, si dictis meis nulla est apud te fides, faciam profectò, vt experientia tibi ostendat veritatem. Quid femina non audet, cum irascitur? *Mulier im-* S. Chrysostr.  
*pudens,* ait S. Chrysostr., *nemini parcat, non Lenitam honorat,* hom. 34.  
*non sacerdotem reueretur, non Prophetam defert.* Itaque hæc vipera à domino suo recta adit ad eundem, à quo accusata fuerat, sacerdotem, & lachrymis, quas in potestate habebat, oppleta doctè simulat, se prioris vitæ poenitudine tangi; rogat proinde, vt de peccatis confessuram audiat. Ille, tamquam bonus pastor, deuè reducta lætus, præbet aures contenti. Usque aded pestilens est halitus mulieris, vt etiam in ipso sacro tribunali possit inficere audientem. Nec sine causa monuit sapiens: *Ne attendas fallam.* Prou. 5:3.  
*fallam mulieris, fenum enim distillans labia meretricis, & nitidum oleo gut-*

420 Cap. XXXVI. Innocentes multos miraculosè à calumnijs liberatos,  
tur eum, nonissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta qua-  
si gladius biceps. Tum Sirenem audisses plorabili voce gemitus eden-  
tem, ac paullatim ad turpissimæ vitæ suæ facinora narranda veni-  
entem, eaq; ita depingentem enucleatim, vt non tam se accusa-  
re, quàm auditorem suum Confessarium inflammare velle vide-  
retur. Post aliquot ambages, tandem, omni simulatione remo-  
ta, clarè incipit in hæc verba fari: Domine, vt verum non ampli-  
ùs cælem, eò miseriarum deueni, vt tui quoque amore ardeam,  
itaq; ardeam vehementer, vt nisi eum ignem, quem in me accen-  
disti, tuo consensu extinguas, me ipsam vitamq; meam extinctu-  
rus sis. Hæc audiens sacerdos cohorrui, & cruce pectori impres-  
sa se se signauit, mulieremq; verbis quibus potuit efficacissimis à  
se amouit. Non facilè domatur impudentia. Altero igitur die,  
iterum adest periculosa Harpyia, iterumque hesternam repetit,  
petitionem; eamq; vt roboret, addit pro coronide: Ni impetro,  
quod peto, ecce iam iam abeo, & hoc me cultro interficio. Sub-  
stitit ad has minas bonus sacerdos, & aliquantulum secum tacitus  
deliberauit, quo pacto & ipse non peccare, & illam à violentis sibi  
manibus inferendis impedire posset. Silentium illud & delibera-  
tio procacem puellam in spem erexit petitionis suæ obtinendæ.  
Re satis constituta, *Ecce tali die, tali loco, si volueris, tecum dormiam,*  
*dummodo te non interfeceris,* inquit Confessarius. Illa vicisse se,  
hostem rata, plena spe & lætitijs, rectà ad dominum recurrit, ei-  
que eum triumpho retulit Capellani promissionem. Fidat aliquis  
feminarum taciturnitati; cùm maximè silentium videntur vel  
promittere, vel arcum habere, maximè garrulæ sunt, & primæ  
euulgant, quod in amantium dedecus redundat. Non potuit do-  
minus ea re audita satis obstupescere, & admirari vel tam sancti  
viri inconstantiam, vel puellæ illius potentem audaciam. Interea  
tamen Sacerdos & pro sua integritate, & pro impudicæ illius salu-  
te sollicitus famulo dat in mandatis, vt in designato loco lectum  
exstruat feralem potius, quàm genialem. Nam rogo similior erat,  
quàm thalamo. Supernè asseres erant plani, inferiùs arida ligna  
stramine intermixta, momento flammam conceptura; ne tamen  
appareret funesta firmes, linteamen iussit decenter superextendi.  
Ita scena omni apparatâ, statuto die, & horâ conuènere ille, &  
illa

illa. Nec longè aberat herus, ex insidijs ambos deprehensurus. Sed sacerdos, igne lignis straminiq̄e subiecto, & luculenta vndiq̄e flamma erumpente, in lectum vnà cum veste se se projiciens, desperatum Veneris mancipium identidem vocavit, iussitq̄e in thalamum tam illustrem venire, & secum accumbere. Puella videns incendium ex omni parte exurgere, nouumq̄e Laurentium in craticula, inter medios ignes, iocari, & tori consortem ad amplexus tam calidos inuitare, resiliit, horruitq̄e, quod tam perditè ambiuit. Vt autem voracissimum elementum innocentiae castissimi viri subscriberet, more Babylonici illius ignis, sine noxa fuit. Siquidem sacerdos, Dei adiutus auxilio, haud aliter sensit, *illam flammam, quam ventum roris flantem, nec est adustus capillus eius, neq; vestimenta eius in aliquo sunt lesa.* Quod tam mirum spectaculum vbi miseranda puella vidit, & ipsa ardere desijt, gemitumq̄e & libidinis, & vindictæ ignem à se excussit, scelerumq̄e suorum penitens, palàm est protestata, se innocentè, castum, sanctumq̄e hominem, ex inuidia, atque in vindictam accusationis iustissimæ, apud herum suum infamasse, & meretricijs artibus, in tantum viræ & famæ discrimen adduxisse. Cessit igitur calumnia in gloriam; & ignis castimoniam non solum lustrauit, verùm etiam illustrauit. Sacerdos autem, tamquam aurum in fornace probatus, vt & honorem fugeret, quo ob miraculum tam nobile afficiebatur, & Numini ob beneficium gratus esset, in religionem se abdidit PP. Prædicatorum; ibi tutius innocentiae thesaurum asseruaturus, quem Deus voluit etiam in igne esse illibatum, vt in hac quoque vita Laurentium haberemus, qui tamquam rubus ardens incombustus admirationi esset, immò & imitationi. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinus suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur planta eius? Potest sanè Kunigunda aliqua, aut talis sacerdos. Non potest autem qui ingreditur ad mulierem proximi sui, talis enim non erit mundus, cum tetigerit eam.* Immo velut in ignem se ipsum projiciet admodum periculosum, *Non decet monachum, vel etiam clericum, quemcumque, vllam habere cum femina societatem:* ait Ephraim: *ad eam verò, qua virginitatem proficitur, prorsus ne accesseris, si quidem vllus in te carnalis sensus viget, Nam monachum inter epulas cum fe-*

Exod. 3. 22

Prou. 6. 27.

S. Ephraim in  
Doctrina varia.

422 Cap. XXXVI. Innocentes multos miraculosè à calumnijs liberatos,  
minis versari, idem est, ac se in ignem projicere. Ex igne potes illæsus  
exire si castus es, vix tamen ex mulierum familiari conuersatione.  
A calumnia multos Deus per ignem purgavit, quos sciuit inno-  
centes; nullum à culpa immunem ostendit, quem vidit esse reum.

X.

Num. 5. 12.  
seqq.  
Tom. 2. c. 3.  
§. 12. & seqq.

Succurrit autem celestis auxiliator innocentibus, non per  
vnum dumtaxat elementum. Nam & aquâ epotâ nocentes ab in-  
nocentibus Israelitis olim discriminabantur. Riturâ tradit sacra  
pagina. Cui æmulum in aqua consecranda, ad explorandos reos  
vel innoxios tradit Auentinus. De quo more nos copiosè egimus  
alibi, vbi nō solūm formulas consecrationis recitauimus, verūm  
etiam, docuimus, cur nunc modus ille ad ignem vel aquam pro-  
uocandi sit prohibitus. Neq; enim omnibus, aut quauis in caus-  
sa est ad miracula prouocandum. Quod Deus, per quosdam fa-  
cit, non facit per omnes. Neque desunt illi alij modi, quibus ca-  
lumniæ in lucem protrahantur. Non ambienda sunt miracula,  
sed, si à Deo, vbi vtile, aut necesse est, sunt, cum veneratione,  
acceptanda, qualia in hoc genere mox plura dabimus, vbi prius  
hîc historiam inseremus recentissimam, ex qua clarum sit, diui-  
næ prouidentiaæ consilia, etiam casibus humanis vti, ad calum-  
niantes pudefaciendos. Notissima Italiae ciuitas est, cuius nomē  
taceo, ne familiam contaminem calumniatricis; quamquam  
publicè ad magistratum delatæ. Vir quidam pius, honestoque  
loco natus, æquè Religiosorum atque religionis amans, de-  
functo cognato, luculentam atque magnam erat obiturus hæ-  
reditatem, sed eam defuncti vxor hac sutela conata est auer-  
tere. Finxit se pregnantem, & mortuo marito prolem post-  
humam esse parituram, ad quam patrio iure ea hæreditas perti-  
neret. Dominus ille, qui erat successurus, libenter annuit, se,  
quod æquum videretur, facturum, si peperisset. Tum femina,  
per fidelem, diligenter indagauit, an alicubi repertam recens na-  
tam sobolem posset supponere. Distabat non longo itinere pagus,  
in quo colonus dicebatur filium acquisuisse, coniuge inscia, ex  
nescio quo pagi scorto; eumque clam vxore cupere procul inde  
amoliri ex pago. Cum eo colono actum est, in silentio, ei que eti-  
am pecunia promissa, si rem secretam tenere vellet: Nam optari  
alicubi hæredem iam diu, qui quia deesset, puerum illius, in mag-  
num